



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 112. Moderata Hispaniæ Regis jussa, sed nimis tarda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.
A. C. 1566.

Strad. l. c.

Interea Antverpiam reversus Princeps Oranius, cum tumultus ibidem graviter auctos cerneret, Gubernatricem admonuit, sollicitari se a civibus, ut urbis administrationem capesseret, atque ad ejus securitatem, & defensionem præfidiarios milites pro suo arbitrio adhiberet. Annuente Gubernatrice Princeps non modo milites conscripsit, sed etiam corporis custodes ab eadem postulare ausus est, quibus obtentis urbis Gubernatorem lætus egit, spe concepta, quod brevi ibidem supremum Principem pro summo imperio acturus esset, si consiliis suis optatus aspiraret successus.

§. CXII.

Moderata Hispaniæ Regis jussa, sed nimis tarda.

Strada l. c.

Paulopost Hispaniæ Rex, cum tandem sua edicta moderandi necessitatem cerneret, Gubernatrici datis literis permittebat, ut Inquisitores Ecclesiasticos remove posset, dummodo prius eorum potestas in Episcopos transferretur, cum Religionem illorum præsidio privare nollet, qui fidei causas cognoscerent, atque injurias per hæreticos illatas vindicarent: insuper placuit Regi, quod Belgicus Senatus Caroli V. edicta moderaretur, ita tamen,
ut

ut Hispanus Senatus hanc moderatio-
nem inspiceret, probaretque, prius-
quam ea in Provinciis publici juris fie-
ret. Denique veniam concedi posse,
ajebat Rex, conjuratis, aliisque, prius
tamen priores duas condiciones omni-
no esse adimplendas. Verum hæc re-
media sero nimis adhibebantur.

§. CXIII.

*Hæreticorum rabies in Ecclesiis
Catholicorum.*

Hac lenitate Rex nihil aliud efficie-
bat, nisi quod aquam affunderet,
postquam ferme omnia jamjam conti-
nuato incendio absumpta fuere; quip-
pe hæreticorum seditio ad tam petu-
lantem degenerabat rabiem, ut ea,
quæ ipsimet antea petebant, sibi am-
plius concedi aspernarentur; cuncta e-
nim illorum desideria eo abibant, ut
crudelitatis suæ libidinem satiare pos-
sent: eapropter seditiosi hi Protestantes
arma arripiunt, nimirum baculos, secures,
malleos, scalas, funes, cunctaque alia in-
strumenta demoliendo, quam pugnan-
do aptiora, paucique sclopetis, & gla-
diis muniti erant: porro hoc apparatus
tanquam emissæ ab orco furis, in pa-
gos, vicosque circa Audomaropolim ir-
rumpunt: sacrarum ædium, ac cœno-
biorum aditus, si quos reperiunt oc-
clusos

Sæcul. XVI.
A. C. 1566.

Thuan. l. 37.
Strad. l. 5.